



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque
Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

v. De tribus alijs suspensionis modis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13883

pillij, etiam in illis, quibus pallium competit. Vnde manifestum est suspensionem hanc a precedenti differre, cum procedens directe exercitium ordinis Pontificalis prohibet; Sic igitur suspensus, quamvis Missam priuatam celebrare non prohibetur, aut alia facere sine ornamentis Pontificalibus, quæ ei ratione Sacerdotalis officij competunt, vt baptizare, penitentias dare, & huiusmodi; Missam tamen Sacram Mittere, & baculo celebrare non potest; Immo vero consecratiue etiam suspensio hæc omnem actum ordinis Pontificalis prohibet; cum actus ordinis Episcopalis non debeant, nec soleant sine ipsis insignibus Pontificalibus exerceri, qua de causa glo. in Extrauag. *Suspensio regimini*. in verb. *A Pontificalibus*, de elect. docet suspensionem a Pontificalibus, prohiberi etiam ab his, quæ sunt sibi alias vt Pontifici permiffa, & a dependentibus ab eis, puta, ab ordinum celebratione, fronsu chrisimatis, huiusmodi, seu virginum consecratione, & similibus; Quod si quis actus sit qui sine istis insignibus solet exerceri, ille non est prohibitus.

15. *Hæc sequitur primo*, Suspensionem hanc latiore esse precedenti, quia non solum prohibet exercitium ordinis Pontificalis, sed etiam in exercitio actuum aliorum ordinum apparatus Pontificalium prohibet, ita vt Episcopus suspensus a Pontificalibus Missam cum baculo, & mitra cantare non possit; Nec in Missa solemnem benedictionem solemnem dare potest, per illa verba, *Sit Nomen Domini benedictum*, facit c. Ecce. & ibi gloss. in verbo, benedicere, Nicolaus Dionys. de Perusio, in c. 1. §. caueant, de sent. excom. in 6. Alphonsus Viualdus vbi supra, num. 143. Econtra vero, si quis sit actus Episcopalis, qui sine hoc apparatu exercetur, hæc suspensio minor erit precedente, eo, quod non prohibet istum actum, quem procedens prohibet.

16. *Inferitur secundo*, Hanc suspensionem non prohibere exercitium Iurisdictionis Episcopalis, & multo minus quæ procedens, vt expresse docent Hostiensis, & Ioan. And. in cap. cum medicinalis, de sentent. excomm. lib. 6. quos refert, & sequitur Panorm. in cap. cum dilectus, num. 20. de consuetud. Tabiena, verbo Suspensio, nu. 4. verfic. Tertio, Angelica, verbo Suspensio 3. num. 3. Syluester verbo Suspensio, quæst. 5. Vgolin. de censur. Eccles. Tab. 4. cap. 6. §. 6. num. 5. & alij ferè omnes. Ratio est: quia Iurisdictioni nullo modo pertinet ad apparatus Pontificalem, vt notant DD. in c. Transmissam, de elect. & in c. Aqua, de consecr. Eccles. vel altar.

17. *Dubium tamen est inter DD.* An Episcopus suspensus a Pontificalibus, si celebret Missam, aut actus aliorum ordinum, qui non sunt Episcopi, cum apparatu Pontificali, sicut peccat violando suspensionis sententiam, & censuram, ita etiam efficiatur irregularis? De qua re, comodiore differendi locus erit in cap. 16. vbi ostendetur, in quibus casibus violatio suspensionis irregularitatem inducat.

18. *Quæritur modus est, Suspendo te a collatione ordinum*, Hæc suspensio, vt ipsemet titulus declarat, exercitium vniuersi tantum actus ordinis Episcopalis, scilicet, collationis ordinum prohibet, vnde est multo strictior duab. Prohibet autem collationem vniuersaliter cuiuscumque ordinis, qui est proprie ordo, siue maioris, siue minoris; vt testatur Henriquez lib. 13. de excomm. & susp. c. 3. §. Quoad collationem autem primæ tonsuræ, mihi probabilissimum est, eam non prohibere, cum hæc proprie ordo non sit, sed dispositio quedam ad ordines; penæ vero non amplianda, sed potius restringenda sunt, arg. c. odia, & cap. in pen. de reg. iur. lib. 6.

19. *Secundus modus est, Suspendo te a collatione alicuius determinati ordinis*. Quæ censura primo, & per se directe prohibet actum collationis illius ordinis determinati, de quo loquitur. In qua sententia vera est regula prima, quam in superiori capite attulimus ex cōmuni DD. opinione, vbi dicitur suspensum ab ordine inferiori, consequenter ab omnibus superioribus ordinibus esse suspensum; Id quod non solum de exercitio, sed etiam de collatione ordinis verum esse censet; adeo, vt sicut suspensus a minoris ordinis exercitio tanquam a fundamento censetur a superioribus suspensus, ita etiam suspensus a collatione ordinis inferioris

suspenditur simul a collatione superiorum, vt auctores cōmuniter testantur. Ratio est: Quia sicut exercitium actus ordinis superioris dignius est exercitio actus ordinis inferioris, ita etiam, & collatio ordinis superioris dignior quodammodo censetur collatione ordinis inferioris; vnde rationabiliter suspensus ab executione, vel collatione ordinis inferioris, ab executione, vel collatione superioris suspensus esse censetur, propter maiorem superioris ordinis dignitatem.

20. *Septimus modus est, Suspendo te a iurisdictione*. Hæc suspensio, vt ex dictis constat, nullo modo prohibet actus ordinum, sed solum actus Iurisdictionis, ex Nauar. in Manual. cap. 27. nu. 160. Feliciano Episcopo Scalensi, in Enechirid. de Censur. cap. 11. Vgolin. de censur. Eccles. Tab. 4. ca. 6. §. 5. §. 7. Cosmo Philiarcho, lib. 4. de officio Sacerd. par. 1. c. 1. & est communis DD. opinio, & colligitur ex ca. Transmissam, & glo. ibi, in verbo, de talibus, de elect. & ex cap. Aqua, & glo. ibidem, in verbo Iurisdictionis, de consecr. Eccles. vel altar. vnde sic suspensus, nec beneficia Ecclesiastica conferre, nec censuras ferre, nec iudicare, nec corrigere, nec iuramenta a vassallis recipere, electos confirmare, nec alia consimilia facere potest, quæ in Iurisdictione consistunt; ideoque, nec excommunicatum aut a vinculo excommunicationis in foro exteriori, aut a peccatis in foro conscientie absolueret. Quæ omnia intelligenda sunt, vbi quis a iurisdictione vniuersaliter suspensus sit; Cum enim quis a sola parte aliqua Iurisdictionis suspendi possit, vt patet ex ca. graue, de præbend. & c. vnicuique, ne Sede vac. lib. 6. vbi suspenditur quis solum a collatione beneficiorum, c. 2. de translat. Episc. & in cap. prouida, de elect. lib. 6. vbi suspenditur suspensio a confirmatione Episcoporum, & c. Nihil est, de elect. vbi etiam mentio est suspensionis a confirmatione inferiorum, hæc parte Iurisdictionis a qua suspensus est, excepta reliqua Iurisdictionis officia exercere valet, arg. c. Nonne, de præsumpt. & l. cum Prætor, ff. de iudic. & l. in agris, ff. de acquir. rer. dom. limitata enim causa, limitatum producit effectum, & exceptio vnius, alterius inclusio est.

22. *Octauus modus est, Suspendo te ab aliquo ordine particulari*. In qua suspensione obseruanda sunt duæ Regule prioris, quas superiori capite attulimus, sunt enim cōmuni Doctorem consensu comprobata, & certe omnino sunt, ad eum tamen modum, quo ibi a nobis copiosius dictum fuit.

De tribus alijs Suspensionis modis.

Cap. V.

SUMMARIUM.

1. *Suspensio ab officio latissima est, & quid nomine [officij] intelligendum.*
2. *Suspensio ab officio ab omnibus officijs, quæ vel ratione ordinis, vel iurisdictionis, vel administrationis Ecclesiasticæ competunt, suspendit.*
3. *Suspensus absolute ab officio ab ordine, & iurisdictione suspenditur, & quæ sit huius ratio.*
4. *Suspensus ab officio, nec Capitulare, nec in choro officiare potest.*
5. *Episcopus ab officio suspensus in apparatu Pontificali Romæ incedere potest, non autem in propria Diocesi, & quare.*
6. *Suspensus ab officio ab electione actiua, & passiuâ suspenditur.*
7. *Suspensus in vno loco ab officio omnia officia non solum in illo, sed etiam in quouis alio loco exercere prohibetur.*
8. *Suspensus ab officio excommunicato quantum ad exercitium officij equiparatur.*
9. *Suspensus ab officio ab obligatione recitandi horas Canonicas*

- cas liberatur.
- 10 Horas ad recitandas, vel ratione beneficij, vel ordinis, vel religionis quis obligari potest.
 - 11 Suspendus ab officio horas omittens, fructus beneficij pro ratione omissionis amittit.
 - 12 Suspendus ab officio, an vocem in Capitulo habeat, et pars negativa probabilior auctori videtur.
 - 13 Suspendus ab officio, an etiam a beneficio suspendus sit.
 - 14 Beneficium ad officium accessorium est, & propter officium tribuitur.
 - 15 Suspendus ab officio, cum officijs interesse non possit, distributionibus quotidianis priuatur.
 - 16 Suspendus simpliciter ab officio, siue a iure, siue ab homine a beneficio non est suspendus.
 - 17 Suspendio quantumcumque diuturna sit, suspendio est, & non priuatio.
 - 18 Suspendus ab officio propter contumaciam, nec absolutio- nem procurans, an beneficio priuandus sit.
 - 19 Accessorium quando suum principale sequi dicatur.
 - 20 Ius quod penam infert, restringendum est.
 - 21 Mitius cum lege, quam cum ministro legis, quando agendum sit.
 - 22 Suspendus ab officio nec Sacramenta ministrare, nec officia diuina, vt Clericus exercere potest.
 - 23 Suspendus ab officio Sacramenta omnia, excepto ordine, recipere potest, & que huius sit ratio.
 - 24 Suspendus ab officio, Missæ sacram facienti inseruire potest.
 - 25 Suspendus ab officio indulgentiarum capax est, et mortuos in loco sacro sepelire potest.
 - 26 Suspendus a diuinis officijs efficit, ne Clerici cum alijs in Choro Psalmos canere, aut diuinis officijs interesse possint.
 - 27 Suspendio ab aliquo particulari officio, illius tantum officij prescripti exercitium prohibet.
 - 28 Suspendus ab officio ordinis alicuius inferioris, ab exercitio etiam actuum ordinis superioris suspenditur.

1 **N**onus modus est, Suspendio ab officio; Per officium autem a quo quis suspenditur, intelligitur potestas Ecclesiastica alicuius rei Ecclesiasticæ vel ab ordine, vel a iurisdictione; vel ab administratione Ecclesiastica proficiens, seu pendens, vt de ordine colligitur ex cap. perlectis, dist. 25. de iurisdictione, ex Rub. de offic. Vicar. & de offic. deleg. & de offic. ordin. & de administratione simplici, ex Rubr. de offic. custod. & Sacrist. & ex Extrau. Ambrosæ cupiditat. vers. Alienanti vero. de reb. Eccle. nor. alien. Est igitur suspendio hæc ab officio latissima, vt Panorm. in capit. cum dilectus, numero vigesimo, versic. Nam considero, de consuetud. & Tabiena, in verbo Suspendio, numero 4. versic. Tertio testantur, non solum in se, quia multa continet, vt diximus, sed etiam comparatiue, quia multa plura comprehendit, quam pleræque aliarum suspendio- nes.

2 **Primo** enim ampla est ista suspendio propter multa a quibus suspendit, suspendit enim ab omnibus prorsus officijs, quæ competunt vel ratione ordinis, vel ratione iurisdictionis, vel administrationis Ecclesiasticæ, vt de ordine pater, cap. 1. §. fina. de iudic. lib. 6. vbi suspendus ab executione officij, dicitur esse irregularis, si diuinis in se ingerat: quod non esset; nisi suspendus ab officio ab ordine etiam suspendus esset; si enim ab ordine suspendus non esset licite diuina facere posset, & facit cap. 2. de Cler. excommu. ministr. De iurisdictione etiam patet ex gl. in c. cum dilectus in verbo, A suspendis, & ibi Innoc. num. 4. & Panormitan. num. 18. de consuetud. vbi id probat ex d. capit. cum dilectus, de consuetud. & ex d. c. cum in R. de elect. & ex textu a contrario, in ca. si celebrat, de Cler. excommunic. ministr. & ait hanc esse communem sententiam Doctorum,

& glo. in cap. Transmissam, in verb. de talibus, de elect. & in c. Aqua, in verbo iurisdictionis, de consecr. Eccl. vel. in tar. Gemin. in cap. Quia Pontificali, num. 8. de offic. deleg. lib. 6. & in cap. vnic. §. cum verò, numero 3. Ne Sedo, de verbo lib. 6. & Franc. ibidem. Angelica, verbo suspendio, num. 3. Rosella verbo suspendus num. 1. Syluest. verbo Suspendio, nu. 5. vers. si verò sit ab officio. Tabiena, verbo Suspendio, num. 4. versic. Tertio, Henriquez lib. 13. de excommu. & susp. cap. 3. §. 1. Vgolin. de censur. Eccles. Tab. 4. cap. 6. §. 1. qui etiam id docet de administratione Ecclesiasticæ, sed quia de hac dicemus in quintodecimo modo, ideo hic satis erit aduertere ex auctoribus citatis, suspendum ab officio absolute, & ab officio ordinis, & iurisdictionis suspendi, ideoque vt notat Toletus lib. 1. instruet. Sacerdot. 14. sic suspendus ab officio, nec excommunicare, nec beneficium conferre potest, cap. Quia diuersitatem, de concess. prebend. Et ratio id suadet, quia tam actus ordinis, quam actus iurisdictionis sunt, & vocantur officia, vnde celebrare dicitur esse officium Sacerdotis, & Henriquez ait sic suspendum ab officio non posse capitulare, & officiare in choro, & Syluest. & Angelica dicunt suspendum ab officio, etiam a Pontificalibus suspendum, quia cum sit suspendus ab omnibus officijs, in quorum exercitio vt potest Pontificalibus, consequenter suspendus est a Pontificalibus. Vnde valde probabile est, Episcopum ab officio suspendum, incedere posse in apparatu Pontificali, quando nullum alium Pontificalem exercet; exempli causa; Si Romæ incederet in solemniori pompa in Pontificalibus. Dixit Romanus, vt excludam Episcopum, ne in propria diocesi possit incedere, quia ibi incedere sic nequit, quin benedicat populo, vel aliquod officium exerceat; quamuis si ibi nullum officium exercere vellet, posset etiam vt huiusmodi apparatu, Panorm. in d. c. cum dilectus, num. 20. in fine, & Tabiena vbi supra, addunt suspendum ab officio, etiam suspendum esse ab electione actiua, & passiua, & deactiua res videtur certa, & fauet Vgo. Tab. 4. c. 7. §. 3. non propterea sine, & c. §. 9. num. 2. & Toletus lib. 1. instruet. Sacerdot. 14. id de vtraque docet. Ratio potest esse, quia ita eligens est officium quoddam, quod non omnibus competit: De passiuo vero electione, res dubia est, & verius est ab electione suspendum esse, non quia sit officium aliquod passiuè eligi, sed quia cum sit prohibitus exercere officium, eligi non potest ad id quod non potest exercere, & ideo ad beneficium eligi nequit, arg. c. si de Cler. excomm. ministr. vbi nonori excommunicatione ligatus eligi non potest, quoniam ad successionem eorum eligitur, a quorum perceptione Sanctis Patribus est priuatus.

7 **Secundo** etiam suspendio hæc amplissima est in ordine ad locum, quia in vno loco suspendus ab officio non solum prohibetur exercere omnia officia in illo loco, sed etiam quouis alio loco, sic glo. in ca. Quisquis Episcoporum, in verbo communicet 7. quest. 5. ca. si quis presbiter, in verbo alius Episcopus, 7. quest. 1. & in ca. 2. in verbo ab officio 1. quest. 3. & glo. in cap. pastoralis, §. verum, in verbo Subtrahuntur, de appellat. & Panorm. ibi, num. 2. vbi et Ioann. Andr. idem tenere, & Decius ibidem, numero 9. qui ait hanc esse opinionem communem, & glo. in cap. recipientes, §. ceterum, in verbo in ipsa Ecclesia, de elect. lib. 6. & Summa Astensis par. 2. lib. 7. tit. 16. ar. 1. q. 16. & Vgolin. de censur. Eccles. Tab. 4. c. 6. §. 2. num. 4. Rationem huius dat glo. in d. cap. si quis presbiter, quia sententia facta ius quantum ad omnes vbiq; lo. Andr. rationem assignat, quia suspendio ab officio contingit propter ordinem, vnde ex quo ordo est suspendus, non potest alicubi ministrare diuina. Deinde suspendus ab officio equiparatur excommunicationi quantum ab exercitium officij, cap. 2. & §. de excommunica. ministr. vt notat glo. in d. cap. pastoralis vbi supra, excommunicatus autem in vno loco vbiq; locorum excommunicatus est, ex glossa in lex ex causa, de postul. Bartolin. in l. cunctos populos, C. de Sum. Trin. de Cathol. num. 50. Panorm. in cap. postulat. num. 1. foro competens, & Marian. Socin. in cap. Sacris, num. 4. de sentent. excommunicat. Vgolin. vbi supra, rationem illam Ioan. Andr. assignat, quæ omnium optima esse videtur. Addit autem hoc, quod diximus de suspendio ab officio,

cio, quod vbiq; sit suspensus, intelligi de officio, quod de-
pendet ab ordine Sacramentali; Siquidem, si quis suspen-
ditur ab officio, quod solet Clericis concedi, non tamen
est ordinis cuiuspiam nouem, vt ipse loquitur, vt pote, si
suspendatur ab officio Sacristæ, aut custodis, de quibus a-
gitur in tit. de offic. Sacr. & in tit. de offic. custod. vel ab ele-
ctione, quæ nec ipsa ab ordine proficitur, arg. cap. inde-
mitatibus, de elect. lib. 6. iuncto cap. Noua quædam, de
penit. & remis. in hoc casu extra suspendentis territorium
non est suspensus, sed solum ab eo officio suspensus erit,
cum suspensio hæc potius facti, quam iuris sit. His addo,
suspensum ab officio non liberari ab obligatione dicendi
Horas Canonicas, sed ita teneri omnino ad eas recitandas,
ac si suspensus non esset: quod intelligitur in privato, non
enim potest publice officiâdo in Ecclesia eas recitare, aut
actum aliquem deputatum ordini in Horis recitandis ex-
ercere. Sic glo. in cap. penult. in verb. priuatus est, distinc.
28. & Archid. ibi, num. 4. & Felin. in capit. Apostolica, nu-
mero 17. de except. Paul. Fusc. lib. 1. de visit. & regim. Eccl.
cap. 10. nu. 18. Vgolin. de censur. Eccles. Tab. 1. cap. 13. §.
13. & Tab. 2. cap. 8.

Ratio est, quia suspensio pena est, pena verò immunita-
tem non tribuit, argum. l. relegatorum, §. fina. cum l. seq. &
ibi not. glo. si de interdicitis, & relegatis. & quia aliàs ex
sua malicia commodum reportaret, quod fieri non debet,
arg. l. utaque fullo, ff. de furt. & arg. cap. Erii necesse, de do-
nat. inter vir. & vxor. & denique quia ad Horas, quis obli-
gatur velatione beneficij, vel ordinis, vel Religionis, ex
Nauar. de orat. & Hor. Canon. ca. 7. per suspensionem ve-
rò, nec beneficio, nec ordine sacro, neque professione pri-
uatur, ideoque manente suspensione, ad eas recitandas, si-
cut prius tenebatur. Vnde suspensus ab officio, Horas omittens,
fructus beneficij non facit suos, pro rata correspon-
dente officio totius diei, vel parti officij, iuxta Bullam Pij
V. quæ incipit, *Ex primo Lateranensi*, quam refert Nau. in
Man. c. 25. nu. 122.

Dubium tamen est, An suspensus ab officio habeat vo-
cem in Capitulo? In qua re

Prima opinio affirmat, sic Dominicus relatus a Felino,
in cap. Apostolica, de except. qui id probat, quia vox non
pertinet ad ordinem, nec ab ordine dependet, vt patet, eo
quod conuersi Laici ex consuetudine vocem in Capitulo
habent, iuxta Innoc. in cap. 2. de institut. & glo. in cap.
ex eo, in verbo electionibus, de elect. lib. 6. & quia Monia-
les habent vocem, ex glo. in Clem. *Vt ij, qui*, in verbo
manipulari, de arat. & qualitat. vnde, & eligunt Abbatis
suas, & alias officiales sui ordinis; ideo vox non pendet
ab ordine, cum feminæ ordinis incapaces sint; & denique
quia vox nō est exercitium officiorum diuinarum. Quod
si obijcias ex Clem. *Vt ij, qui*, de arat. & qualita. Canoni-
cum ordine carentem non habere vocem in Capitulo.
Respondeo, ibi non determinari vocem pendere ab
ordine, sed solum in Canonici constitui, vt si non ha-
beant ordinem, non habeant vocem in Capitulo,
& hoc ne Canonici contemnant ad ordines promo-
uere.

Secunda verò sententia negat, quæ communior est eam-
que tenent glo. in cap. cum dilectus, in verbo a suspen-
sis, & ibi Panormitan. num. 20. de consuetud. & Felin. in d.
cap. Apostolica, vbi notat duplicem esse viam defendendi
hanc opinionem; vna est dicendo vocem pendere ab ordi-
ne, quæ tamen via, vt ait, non est satis tuta, & refellitur ar-
gumentis allatis. Nec valet Responsio Panorm. ibi, dicen-
tis, conuersis religiosorum, & Monialibus vocem concessam
esse ex priuilegio Religionis, ita, vt in non religiosis
necessario pendeat ab ordine; Primò, quia contra hoc est,
quod Religio non est ordo, & sic satis haberi videtur intè-
rum. Secundo, quia etiam conuersi Ecclesiæ secularis
habent vocem ex consuetudine, secundum glo. in cap. ex
eo, in verbo electionibus, de elect. lib. 6. & communior
opinionem. Altera via est, dicendo nomine officij compre-
hendi omne exercitium Clericale, seu omne exercitium
Ecclesiasticum, vocem autem esse vnum ex Ecclesiasticis
exercitijs, quare suspensus ab officio, etiam consequenter

a voce iuspenus est; & hæc opinio, vt est communior, ita
etiam probabilior est, sicut etiam hæc secunda via tutior
est; cui tamen ego hanc limitationem addidem, scilicet, ni
si vox competeret ratione beneficij; Cum enim suspensio
ab officio nullo modo suspendat a beneficio, vt inferius di-
cemus, sequitur necessario, si vox alicui ratione bene-
ficij competeret, quamuis ab officio suspensus sit, vo-
cem tamen habebit; vt tamen limitatio hæc clarior, &
manifestior reddatur, subsequens dubium explicare o-
portet.

Dubium igitur sit, An suspensio ab officio, etiam su-
spensionem a beneficio includat? In qua re certum est, si
suspensio ab officio fiat per particulam taxatiuam, seu re-
strictiuam, *Solum, Tantum, Dumtaxat*, tunc solum suspen-
dere ab officio, & non a beneficio, quia hoc voluit senten-
tiæ promulgatio; vires enim sententiæ vltra proferentis in-
tentionem non se extendunt, ex S. Anton. 3. par. tit. 27. ca.
4. versic. Item cum quæritur. Syluestro verbo suspensio,
quæstio. 5. versic. Si iterum suspensio. Tabiena, verbo Su-
spensio, num. 5. versic. Quarto. Si verò suspensio fiat ab officio
simpliciter, sine vlla restrictione, tunc res est valde du-
bia.

Prima opinio est Gulielmi in c. quia saepe, de elect. lib.
6. & in cap. præsentia, de offic. ordin. & in capit. latores, de
Cler. excomm. ministr. & glo. in Clem. Cupientes,
in verbo Suspenso, propè finem, de penis, qui dubie satis
rem hanc tractat, nec se explicat. At verò, in cap. latores,
in verbo ab officio, de Cler. excomm. ministr. expresse ait
suspensum ab officio, etiam a beneficio suspensum esse. &
Palud. 4. dist. 18. quæst. 7. articl. 3. Conclusio. 3. Ratio est;
quia beneficium est accessorium ad officium, & propter
officium tribuitur, cap. fin. de Rescript. lib. 6. sublatu au-
tem, seu prohibito principali tollitur, & prohibetur acces-
sorium, arg. c. accessorium, de reg. iur. lib. 6. & l. oratio, ff. de
spons.

Secunda opinio est Ioan. Andr. qui in cap. præter, distinc.
32. & in Clem. Cupientes, de penis, multa in vtramque par-
tem assert, ex S. Anton. vbi supra, & Syluest. in verbo Su-
spensio, nu. 5. nec clare se explicat, hæc tamen est mens e-
ius, quantum ex eo colligi potest, suspensionem ab officio
latam a iure, seu Canone, suspendere etiam a beneficio, la-
tam verò ab homine non item.

Tertia est Hostiensis relata glo. in capit. 1. in verbo of-
ficij, de sentent. & re iudic. lib. 6. & in Clem. cit. Cupien-
tes, in verbo suspensio, propè finem, de penis, quam etiam
opinionem sequitur Archid. in d. cap. 1. de sentent. & re iu-
dic. lib. 6. quorum opinio omnino contraria priori, affir-
mat suspensum a iure ab officio non esse suspensum a be-
neficio; si verò sit ab homine suspensus ab officio, etiam a
beneficio suspensus intelligitur; tum, quia ius, quod pe-
nam infert, restringi debet, argum. cap. statutum, de elect.
lib. 6. & cap. ad audientiam, de decim. non autem homi-
nis sententia, arg. ca. diuersis, de Cler. coniug. & alijs, quæ
citantur a glo. in d. Clem. Cupientes, tum, quia mitius a-
gitur eum lege, quam cum ministro legis, arg. l. Celsus, ff.
de arbit.

Quarta opinio est Petri de Ancharano in d. Clement.
Cupientes, & Gasparis Calderini ibidem, vt referunt S.
Anton. Syluest. & Tabiena vbi supra, & Summa Astensis,
par. 2. lib. 7. tit. 16. articl. 1. quæst. 12. qui eam approbare vi-
dentur, & Couar. 2. par. Sponsic. 5. in princip. nu. 14. quo-
rum opinio ad hæc quatuor reduci potest; Primum est, si
suspensio lata sit a iure propter crimen graue, tunc suspen-
sus ab officio, intelligitur etiam suspensus a beneficio, arg.
cap. si quis Sacerdotum, & capit. eos, dist. 81. Secundum
est, si

A D D I T I O

* Adde, Quoad hanc quæstionem, nempe, quid impor-
tet suspensio ab officio, tot sententiæ, quot hominum ca-
pita referantur per Sanch. tom. 1. de matr. disp. 51.

- cit, ſi ſit lata a iure propter infamiam, vel ob contumacia, ſic ſuſpenſus ab officio non eſt ſuſpenſus a beneficio, arg. c. preſbiter, ſi a plebe, 2. quæſt. 5. Tertiu eſt, ſi ſuſpenſus ſit ab homine ab officio propter crimen graue, tunc eſt intelligitur ſuſpenſus etiam a beneficio. Quartum eſt ſi ſit ſuſpenſus ab homine propter crimen leue, vel infamiam, vel contumaciam, tunc non intelligitur ſuſpenſus a beneficio inquam etiam ſententiam inclinant Gregor. de Valentia tomo 4. Diſput. 7. q. 18. puncto 1. & Iacobus de Graſſijs, lib. 4. deciſ. aut reat. c. 25. nu. 8.
- 15 *Quæſtio* opinio eſt Nauarr. in Mandat. cap. 27. nu. 160. dicentis duo conſideranda eſſe in beneficio; *Vnum eſt*, quod datur ſolum præſentibus, & interſentibus, vt ſunt diſtributiones quotidianæ, & ita ſuſpenſus ab officio, hoc ipſo quod intereſſe non poſſit officijs, intelligitur ſuſpenſus etiam ab ipſis diſtributionibus, eo quod hæc non dantur, niſi præſentibus, & laborantibus. *Alterum eſt*, quod datur etiam abſentibus, vt ſunt præbenda, & fructus præbenda, & omnes alij fructus, qui non pertinent ad diſtributiones & ita ſuſpenſus ab officio non eſt ſuſpenſus a beneficio, ſeu fructibus præbenda, & beneficij: Addit tamen Nauarrus vnã limitationem, dum modo inquit, ſententia ſuſpenſionis non ſit tam diuturna, vt tacite, vel expreſſe habeat vim priuationis; in hoc enim caſu putat etiam ſuſpendi a fructibus ipſius præbenda. Cui fauent ea, quæ habet Summa Aſtenſis par. 2. lib. 7. tit. 16. art. 1. q. 12. citans Hoſtienſem. & Ludou. Lopez 2. par. Inſtr. c. 97. Corona conſeſ. tit. de ſuſpenſione nu. 6. & Iacobus de Graſſijs, lib. 4. deciſ. c. 25. nu. 7.
- 16 *In hac* autem difficultate duo mihi videntur probabiliter dici poſſe; *Vnum eſt*, ſuſpenſum ſimpliciter ab officio ſine a iure, ſiue ab homine, non eſſe ſuſpenſum a beneficio, ſic Henriquez lib. 13. de excom. & ſuſp. cap. 32. §. 3. & Vgol. Tab. 4. cap. 6. §. 3. & Coſtus Philareus de officio Sacerd. par. 1. capit. 1. lib. 1. & probari poſſet, tum quia pœne non ſunt amplianda, argum. cap. odia, & cap. in pœnis, de reg. iur. lib. 6. & l. interpretatione, ff. de penis. Cum igitur ſuſpenſio hæc mentionem faciat ſolius officiij, non eſt extendenda ad beneficium; tum, quia & a iure, & ab homine aliquando fertur ſuſpenſio ab officio, aliquando a beneficio, aliquando ab vtroque; ſunt enim hæc tres ſuſpenſiones diſtinctæ, & tres diſtinctos habent effectus vna igitur alteram non includit; immo vero ſunt ſpecies diſtinctæ ſuſpenſio ab officio, & ſuſpenſio a beneficio, vna verò ſpecies alteram non continet, nec vna lata cenſetur altera ferri; Tum, quia nomine officiij, non comprehenditur beneficium, nec e conuerſo, vt patet ex diuerſa conſideratione vtriuſque in iure Canonico: Si quidem de officio tractatur in tit. de offic. Archid. cum nonem ſeq. de beneficio autem in tit. de præbend. Tū quia ſi ſuſpenſio ab officio contineret ſuſpenſionem a beneficio; ergo pari ratione ſuſpenſio ab aliquo determinato officio, contineret ſuſpenſionem ab aliqua parte beneficij, quod tamen eſt abſurdum. Tum quia ſi ſuſpendens ab officio, a beneficio etiam ſuſpendere vellet, id exprimeret quandoquidem id ſape factum legimus, vt c. 2. de fideiuſſ. & in cap. tam literis, de teſtib. & in cap. 1. de ſecund. nupt. & in cap. Tuarum, de priuileg. & in cap. a crapula, de vita & honeſt. Cler. & in cap. Quanto, de offic. ordinand. & in cap. Quiſquis, de elect. & in cap. Quia ſape, tit. eod. lib. 6. & in cap. exigit, de conſuetud. lib. eod. Cum igitur id non exprimat, nec voluide dicendum eſt.
- 17 *Alterum eſt*, limitationem illam Nauarr. & Iacobi de Graſſijs vbi ſupra, non mihi vſque adeo probabilem eſſe: nam quantumcunque diuturna ſit ſuſpenſio, ſæper tamen eſt ſuſpenſio, & non priuatio, vt cap. 1. dictum eſt, nec vim priuationis, ſed ſuſpenſionis tantum habet, & conſequenter nunquam continet ſuſpenſum a beneficio. Non eſt tamen negandum, quia ſi quis ob graue crimen ſuſpenderetur a iudice ab officio, & in perpetuum, ita vt impediatur quo minus licite exercere poſſit officium beneficio annexum, teneatur talis beneficium illud reſignare, vt docent Alphoſus Vualdus, tit. de ſuſpenſione, numero 171 Concluſ. 1. & Henriquez vbi ſupra, & ob tale delictum,

- verbi gratia, parochus ob homicidium ſic ſuſpenſus beneficio priuari poſſet, arg. cap. ex tuarum, de purg. Canon. in materia ob contumaciam ſuſpenſus ab officio, & volens a contumacia diſcedere, nec abſolutionem procurare, beneficio priuandus eſt, arg. c. cum bonæ, de æta. & qual. Niſi quam tamen in his caſibus ſuſpenſio eſt priuatio, nec reſignatione ſuſpenſionis, ſed delicti vitio beneficio priuandus eſt.
- 19 *Ex his* manifeſtum eſt, quid dicendum ſit ad rationem primæ ſententiæ, illud verum eſſe acceſſorium ſequi ſuum principale, quando illa duo neceſſario ſe conſequentur, officium autem, & beneficium non ita ſe habent, quando quidem officium ſapienter ſine beneficio habetur, vt experientia teſtatur, multi enim Clerici beneficio carent, ſicut igitur non neceſſario ſequitur, vt qui officium habet, beneficium habeat, ita neque pœceſſe eſt, vt qui ab officio ſuſpenditur, a beneficio etiam ſuſpenſus ſit, argum. l. in a. fin. ff. de leg. 3.
- 20 *Pari modo* ſatis ſit argumentis ſententiæ Tertie, etenim ratio illa, ſus, quod pœnam inferre reſtringendum eſt eodem modo militat, etiam quando ab homine ſuſpenditur, arg. l. cum quidam, ff. de liber. & poſth. vnde, ſi quid de ſuſpenſione iuris concludatur, etiam & de ſuſpenſione ab homine lata probabit, arg. c. cum dilecta, de confirm. vbi vt inutil. quod tamen ab ipſis negatur.
- 21 *Et alia* etiam eorum ratio ſcilicet, mitius agitur cum lege, quam cum miniſtro legis, ſolum procedit, quando non eſt de mente diſponentis conſtare; cuius conſtantum in caſu noſtro contingit: nam ſicuti, quod dicimus, velle conſtitimur, argum. l. habes, ff. de ſupell. leg. ita e conſtratio, quod non dicimus, nec velle credimur.
- 22 *Dubitum* aliud eſt, An ſuſpenſus ab officio Sacramenta miniſtrare, & alia officia diuina ſacere poſſit: *Reſpondetur* cum, vt dictum eſt cap. 1. ſuſpenſio tantum Clericos attingit, quatenus Clerici ſunt, & Sacramentorum miniſtrant, & diuinarum exercitium munera Clericalia ſunt, conſequentes eſt, vt ſic ab officio ſuſpenſus, nec Sacramenta miniſtrare, nec diuina officia tanquam Clericus exercere poſſit, vnde de communiter DD. aſſerunt, per ſuſpenſionem impedit Clericum ne functiones Eccleſiaſticas exercere poſſit, active igitur, & non paſſiue a Sacramentis, & diuinis faciendis ſuſpenſus prohibetur, vnde ea miniſtrare, aut diuina ex officio, & vt miniſter facere non valet: quia tamen ab eorumdem perceptione non repellitur, Sacramenta omnia recipere poſſet, ex cepto ordine, cum enim ordinem in eum ſinem conſeruantur, vt quis Eccleſiaſticas functiones deinceps exerceat, arg. c. 1. d. 25. quas tamen ſuſpenſus exercere prohibetur, conſequentes eſt, ordinem ſuſpenſus non poſſe, prohibito enim conſequenti, & antecedenti prohibito eſt cenſetur, arg. l. oratio, ff. de ſponſ. & prohibito vſu alienius omne id prohibetur, per quod ad illud peruenitur, arg. cap. ſi celebret, & ibi Panorm. num. 3. de Cler. excomm. miniſtr. Alia igitur Sacramenta ſuſcipere poſſet, vt Euchariftiam, dummodo non celebret, tunc etiam quia celebrare prohibetur, cum id ſolum vt Eccleſie miniſter facere poſſit, argum. c. relatum, de conſec. diſt. 2. & Trid. ſeſ. 13. cap. 8. nec eam recipere valet, & idem de Sacramento pœnitentiæ, quod eam ratione ſuſpenſionis recipere non prohibeatur, teſtantur S. Anton. 3. par. tit. 24. c. 1. verſic. Tertio modo dicitur, Sylueſt. verb. ſuſpenſus, nu. 1. in fine. Armilla, eod. nu. 10. Felicianus Epifcopus Salenſis, in Enchiridio de Cenſur. cap. 9. & cap. 15. Vgel. de cenſur. Eccleſ. Tab. 4. c. 5. §. 3. nu. 2.
- 24 *Item* Miſſæ ſacrum facienti inferre poſſet, dummodo officijs intereſſe, Litantias, vel Reſpoſorium de functionibus cantare, Pſalmos, & Horas Canonicas cum alijs in Choro recitare, nec non Epistolam abſque veſtibus ſacris canere, immo etiam ſolemniſſime actum ordinis minoris exercere valet, cum hæc omnia laicis permiſſa ſint, iuxta ea que tradunt Panorm. in cap. 2. num. 7. de Cler. excomm. miniſtr. & in cap. ſina, num. 5. de exceſ. prælat. Sorus 4. diſt. 24. §. 1. artic. 3. verſic. Quintus caſus eſt, Henriquez lib. 4. de excomm. & ſuſp. cap. 32. §. 1. Vgol. Tab. 4. cap. 5. §. 3. nu. 2. & num. 6.

25 Indulgentiarum etiam capax est, & si moriatur, in loco sacro sepeliri potest, Quorum omnium hæc ratio est, quia Sacramenta sumere, officia divina audire, indulgentiarum participem esse, Clericis non conveniunt, quatenus Clerici sunt, sed ut membra privata sunt Ecclesie.

26 Decimus modus est, *Suspendo te a Divinis officiis*: Hæc suspensio efficit, ne Clerici possint cum alijs officari in Choro cantando Psalmos immo, ut nec possint ipsi Divinis officijs interesse, aut ea audire secundum Hostiensem, Goffred. & Raym. quos refert Angelica, & sequitur in verbo, suspensio, 3. nu. 3. in fine. Summ. i. Pisan. verbo, suspensio, in fine. Sylvest. verbo, suspensio, nu. 5. Addunt autem Angelica, Sylvester & Corona Confessorum tit. de Suspensione, nu. 6. non fore irregularem si solum interfit ut simplex laicus.

27 Undecimus modus est, *Suspendo te ab aliquo officio particulari*: Istæ suspensionis modus suspendit tantum ab actu illo particularis officij; suspensio enim præscripta sibi terminos non transgreditur, ita ut reliqua facere liceat, præter id quod prohibitum est, ut senserunt Innoc. in capitul. cum dilectus, nu. 4. de Consuetud. Panorm. in cap. Apostolica, nu. 6. de except. Caiet. in Summa, verbo, suspensio, & Arnilla eo. nu. 4. Tabiena, verbo, interdictum, r. nu. 14. §. Decimotertio. Vgol. Tab. 4. ca. 6. §. 4. ut enim ait Henriquez lib. 1. 3. de excommuni. & susp. ca. 32. §. 1. Suspensio restringitur ex proprietate verborum, ad effectum expressum quantum tamen ad officia ordinum spectat, si sit suspensio ab officio ordinis inferioris, intelligitur etiam suspendere ab exercitio omnium superiorum iuxta ea quæ cap. 3. regula prima dicta sunt. Quibus addi potest, ex Nau. in Man. cap. 27. nu. 163. vers. Octavo infertur, suspensionem ab officio prædicandi, celebrando non peccare, & ait esse communem opinionem DD. in Clem. Cupientes, de penis, & multo minus peccat Evangelium in Missa cantando, ut constat.

16 Suspensione durante, fructus interim currentes in utilitatem ecclesie converti debent.

17 Suspensione dubia existente, fructus beneficii sequestrari debent.

18 Suspensione existente iniusta, vel dubia, quid interim de distributionibus quotidianis faciendum.

19 Suspendus ab uno aliquo beneficio, aliorum beneficiorum fructus consequitur.

20 Suspendus ab aliquo uno beneficio, alia beneficia extra illam ecclesiam consequi potest.

21 Suspendus à beneficio simpliciter, an à beneficijs, quæ alibi habet, suspensus censeatur.

22 Suspendere potest episcopus subditum suum ab omnibus beneficijs quæ alibi habet.

23 Suspendens à beneficio, a iure percipiendi fructus suspendit, quod ius clerico beneficiato inherebat.

24 Suspendio à beneficio lata a iure ob causam generalem, de omnibus ubique beneficijs intelligitur.

25 Suspendio à beneficio lata a iure ob causam particularem, effectum habet solum respectu beneficiorum illius Ecclesie.

26 Suspendio lata ab homine intendente suspendere ab omnibus, effectum suum habet etiam extra territorium suspendentis.

27 Suspendio lata ab homine intendente tantum suspendere a beneficijs sui territorij, de illis solis intelligenda est.

28 Suspendus ab homine non declarante an de omnibus ubique beneficijs, vel solum de beneficijs sui diocesis, de beneficijs diocesis interpretari potest.

29 Suspendus uno loco ab officio, cur ubique suspensus est, non autem suspensus a beneficio.

30 Suspendus ab uno beneficio in uno loco, quando beneficium de nouo alinud acquirere valeat.

De Suspensione à Beneficio, seu a Beneficiis. Cap. VI.

S Y M M A R I U M.

- 1 Beneficium Ecclesiasticum quidnam proprie sit.
- 2 Suspendio à beneficio, seu à beneficijs, titulum, aut possessionem beneficii non tollit.
- 3 Suspendus à beneficio, omnia spiritualia, & temporalia, ut prius agere potest.
- 4 Suspendus à beneficio, eligere, excommunicare, & absolvere potest.
- 5 Suspendus à beneficio, illius beneficii negotia agere nequit, & quare.
- 6 Suspendus interim dum quis est à beneficio, à superiore economus, seu vicarius ad tempus assignari debet.
- 7 Suspendus à beneficio, eligere, & vocem habere potest, dummodo vox ei ratione illius beneficii non competat.
- 8 Suspendus à beneficio, cum ab officio non suspensus sit, in Ecclesia, à cuius beneficio suspenditur, celebrare, & officia divina exercere potest, & debet.
- 9 Suspendio à beneficio efficit, ut illius fructibus priuatur.
- 10 Fructuum beneficialium nomine, quænam intelligantur.
- 11 Suspendus à beneficio, an distributiones quotidianas lucrari possit.
- 12 Suspendus à beneficio propter delictum, quando potest se ex fructibus beneficii sustentare.
- 13 Suspendus à beneficio ob contumaciam, nihil ex fructibus beneficii durante tali suspensione percipere potest.
- 14 Suspendus à beneficio ob contumaciam, si ecclesiasticus officiat, distributiones quotidianas accipere valet.
- 15 Suspendus à beneficio, à fructibus patrimonij sui non suspenditur.

1 **D**ecimus modus est. *Suspendo te a beneficio, seu a beneficijs*: Est autem beneficium Ecclesiasticum, ius quoddam perpetuum Clerico, canonicè inherens percipiendi fructus pecunia æstimabiles, necnon census, & emolumenta omnia alicuius Ecclesie; itemque iura hæc, & Ecclesiam tuendi, ut Vgol. Tab. 4. cap. 8. latius explicat. Hæc igitur suspensio.

2 Primo non suspendit neque tollit titulum, aut possessionem ipsius beneficii; ut communis DD. sententia testatur, & faciunt, quæ docet Panorm. in cap. cum Vintoniensis, nu. 10. vers. Tertio not. ex gloss. de elect. & in cap. cum dilectus, nu. 20. vers. Quandoque quis suspenditur à beneficio, de Consuetud. & in cap. sicut ad extirpanda, nu. 4. vers. Tertia differentia, de cohab. Cler. & mulier. idem docent Gemm. in cap. cupientes, §. ceterum, nu. 3. de elect. lib. 6. vbi expressè affirmat, per suspensionem non priuari aliquem titulo beneficii, quod etiam tradunt Anchar. & Philip. Franc. in d. §. ceterum, & satis colligitur ex d. ca. cupientes, vbi habetur, suspensionem à beneficio per triennium, si intra id temporis ei se ingesserit, ipso iure priuatum esse beneficio, ergo per suspensionem antea priuatus non fuit. id ipsum tradunt Henriquez lib. 13. de excommuni. & susp. cap. 32. §. 4. & Vgol. Tab. 4. cap. 8. §. 1.

3 Secundo Suspendio a beneficio, non impedit quo minus suspendus possit agere omnia spiritualia, & temporalia, ut expressè tenet gloss. in cap. cum Vintoniensis, in verbo, admiserant, de elect. Quod tamen glossie dictum Panorm. ibi nu. 10. & in cap. Apostolica, nu. 8. de except. limitat, procedere solum in illis omnibus quæ spectant ad officium, omnia enim alia quæ ad officium spectant exercere poterit, siue sint spiritualia, siue temporalia; cum enim ex eo, quod quis à beneficio suspenditur, non intelligatur suspendus ab officio, vel à iurisdictione, cõsequens est exercere posse quæ ad officium & iurisdictionem pertinent, vnde Panorm. in cap. dilectus, nu. 20. de consuet. & eum sequuntur Tabiena, verbo, suspensio, nu. 3. vers. Secundo, & Toletus lib. 1. c. c. cap. 14.